



DISPUTATIO V.

THESIS I.

Dvo potissimum D. Augustinus olim à DEO rogasse legitur: Da mihi nosse te: nosse me: universæ humanæ scientiæ duo quasi generalia constituens capita: quorum illud in DEI: hoc in hominis terminetur notitiâ.

2. Quò respicientes protestantes nostri, cum in primo confessionis suæ Articulo de DEI notitiâ egerint, proximum statim locum hominis contemplationi hoc in Articulo ordine convenientissimo assignare voluerunt.

3. Considerant autem hominem hoc in articulo non in primo eius statu, qui fuit integritatis & innocentiae: nisi quatenus ex subsequente corruptione & oppositorum contentione de eo fieri potest iudicium: neque in tertio etiam & quarto, quorum hic in decimosextimo: ille verò in decimo octavo articulis sub disquisitionem veniet: Sed duntaxat in secundo, qualis nimirum ejus post lapsum, ante regenerationem est conditio.

Apolog.

4. Et id quidem non sine gravi causa: Nam ut Apologia huius articuli admonet, magnitudo gratiæ Christi intelligi non potest, nisi morbi nostri atrocitate cognita & perspecta.

Quâ